



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana  
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno  
Granatensi, &c**

**Martinez de Ripalda, Juan**

**Leodii, 1704**

Lectio III. Sovuntur Opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

LECTIO III.

*Solvuntur opposita.*

x. Est.  
Quia ali-  
ter Verbū  
divinum  
esset con-  
tingens.

407. **O**ppones primò. Si Verbum divinum procederet ex cognitione contingentium, Verbum esset contingens, ac proinde potuisset non esse, sicut ipsa contingentia. Sed Verbum divinum est omninò necessarium, & nullatenus contingens. Ergo nullatenus procedit ex cognitione contingentium. Respondet Arriaga, Verbum quatenus expressivum necessarium, & sic esse omninò necessarium; at quatenus expressivum contingentium, procedere ex cognitione liberâ, & sic non esse necessarium: Est enim, & non minùs contingens, ac ipsa scientia libera; quia processiones divinæ ex actibus necessariis, ait, esse quidem necessarias; ex contingentibus autem actibus processiones esse contingentes. Sed contrâ Arriagam occurrit Borrull. Quia si hæc essent vera, admittenda foret Trinitas libera, & contingens virtualiter à necessariâ distincta: Admittendæ etiam essent quatuor relationes liberæ virtualiter à necessariis distinctæ; duæ procedentes, & duæ, à quibus procederent; quod negat Arriaga.

Displicet  
ramè ille,  
& Pater  
Borrull.

408. Verùm uterque Author consequenter; sed non verè discurrit: Consequenter Arriaga; quia semel concesso, quod in Deo sint actus scientiæ, & voluntatis formaliter contingentes quoad denominationem identificatam realiter cum Deo, ut aliqui Recentiores defendunt; consequenter ait hic Author, etiam non implicare Verbum contingens saltem quoad denominationem, &c. Et enim quia si semel salvatur contingentia ex parte actûs divini, qui est perfectio intrinseca Deo; eadem ratione potest salvari ex parte termini ad intrâ producti. Consequenter etiam Pater Borrull; quia ex solutione Patris Arriaga sequuntur omnia, quæ contendit inferri. Neuter autem verè: Quia Verbum procedit ex cognitione contingentium; quod negat Borrull, quin sequatur ex eo, quod in Deo derur Verbum contingens, quod concedit Arriaga inherens principio non vero de contingentia actuum scientiæ, & voluntatis in Deo; quod principium alibi latè refutavimus.

Aliud igi-  
tur est,  
Verbū ex

409. Unde ex ibi dictis respondeo negando sequelam. Quia aliud est, Verbum procedere ex cognitione contingen-

Theol.

tium, & similiter Spiritum Sanctum procedere ex amore libero contingentium; & aliud, quod Verbum procedat ex cognitione contingentia, & quod Spiritus Sanctus procedat etiam ex amore contingentia. Primum est verum in sensu supra dicto; secundum verò falsum. Ratio est.

cōrgētū  
cognitio-  
ne proce-  
dere; &  
aliud, ex  
cognitio-  
ne cōtin-  
genti.

Quia licet Deus sciat, & velit contingentia; non tamen scit, & vult ea secundum modum imperfectum, quem habent contingentia ipsa; taliter, quod si volitum, & cognitum sint contingentia, ipsa quoque volitio, & cognitio in Deo sint quoad denominationem intrinsecam contingentes: Hoc enim est intelligere divina non solum per speciem creaturarum; sed etiam tribuere ipsarum imperfectionem; qui modus à verâ Theologiâ debet relegari. Tum quia sicut Deus intelligit, & vult creata modo increato, & sicut intelligit practicè, & vult liberè mutabilia absque ullâ mutatione ex parte sui, juxta illud: *Ego Deus, & non mutor*: Sic Deus practicè scit, & liberè vult contingentia absque eo, quod reperiatur ulla contingentia ex parte sui, vel sui actûs. Tum quia Deus non est liber ad habendum in se actum liberum, vel non habendum; sed necessariò habet libertatem in actu, ut perfectionem Deo necessariam: Differentia autem per libertatem creatam, seu inter libertatem creatam, & divinam, in eo potissimum stat; quod libertas voluntatis creatæ est potentiæ realis ad amorem, vel non amorem: In Deo autem dari repugnat libertas potentiæ realis; quia est perfectissimè liber in actu ad ponendum, vel non ponendum creaturam extrâ: Unde respectu libertatis creaturarum, cum sit potentialis, datur contingentia ex parte sui actûs, quia voluntas creata est libera ad ponendum in esse actum, vel non actum: At respectu voluntatis divinæ, quæ est ipse actus liber, nulla est contingentia ex parte actûs; sed solum ex parte objecti; quia solum datur in Deo libertas actualis ad faciendum, vel non faciendum objectum; sic autem contingentia tota se habet ex parte objecti; sicut tota rerum mutabilitas, licet pendeat à Deo, se habet ex parte ipsarum, quin ex parte Dei ulla possit esse, aut excogitari mutabilitas juxta illud: *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*.

410. Instabis primò. Casu, quo Pater nec practicè sciret, nec liberè veller creaturas, non diceret suo Verbo creaturas. Ergo deficeret Verbum, quo dicit creaturas. Retorqueo jaculum: Casu, quo Pater nec practicè sciret, nec liberè veller creaturas, per te non deficeret actualis perfectio entitativa Dei scientiæ

Verbū nō  
deficeret  
casu, quo  
Pater pra-  
cticè cre-  
aturas ne-  
sciret.

H h 2

crea-

creaturarum, nec volitionis liberæ; sed solum quoad denominationem; licet in tali casu non solum quoad denominationem; sed quoad entitatem creaturæ ipsæ deficerent. Si ergo nullum reputas inconveniens in hoc respectu actus scientiæ, & voluntatis in Patre; quare respectu Verbi ipsius Patris hoc idem reputabis absurdum? Respondeo tamen negando consequentiam. Quia ex deficientiâ objecti solum arguitur defectus in actu, & Verbo, quando hæc causantur, aut pendent ab objecto. Scientia autem, volitio, & Verbum Dei nullo modo causantur, aut pendent ab objecto creato; sed potius e contra; sic autem licet deficiat objectum, non sequitur deficere actum scientiæ, nec ipsum divinum Verbum.

Dices, te latere, quo pacto creatura, quæ non erat, quæ non erat, actu ponatur, quin Deus saltim virtualiter, aliter se habeat.

411. Instabis secundò. Te non capere, quo pacto creatura, quæ non erat, ponatur in actu, quin Deus saltem virtualiter aliter se habeat, & formaliter sit contingens saltem quoad denominationem. Respondeo primò difficilius capi à nobis tuum assertum; ais enim, denominationem volentis, & scientis esse intrinsecam Deo, ac proinde realiter formaliter identificari cum entitate Dei; & deinde dicis, formaliter potuisse deficere talem denominationem, quin realiter formaliter deficiat entitas Dei: Quod est difficillimum. Respondeo secundò. Te sine dubio, & omnes capere, voluntatem humanam esse liberam libertate potentiæ ad ponendum amorem, vel non ponendum; ita, ut sive ponatur amor, sive non; sive deficiat, sive non, eadem, & eodem modo manet libertas potentiæ, quin in suis intrinsecis potentiæ libera ullo modo muretur; & hoc non aliâ ratione, nisi quia voluntas humana in suo esse potentiæ liberæ nullatenus pender, aut causatur à suo amore, vel non amore, ut teneris concedere. Dum autem hoc cum omnibus capias, miror, te non capere, quod Deus cum sit perfectissimè liber in actu cum potestate ponendi, vel non ponendi rem extrâ causas; ita eam practicè, & liberè efficiat, ut ratione suæ immutabilitatis eodem modo se habeat, sive efficiendo, sive non; cum tota mutatio, & contingentiâ ex parte objecti se habeat.

Insuper Deus in tempore fecit liberè, quæcumque fecit, quin in tempore liberam volitionem habuisset.

412. Adde, Deum fecisse liberè in tempore, quæcumque fecit; & tamen in tempore non habuit volitionem liberam, nec illam contingentiâ virtualem, seu non defectum virtualem sui amoris. Sicut ergo concipis volitionem liberam, & efficacem Dei ab æterno circa mundum, in finijè quidem durantem absque existentia voliti per totam illam æternitatem, eò quòd talis volitio non pendeat ab existentia objecti, cum tale quid non sit excogitabile in volitione

efficaci creatâ; sic poteris, & quidem dignè sentire de Deo, volitionem scilicet, & scientias liberæ Dei ad intrâ, eodem modo se habere absque ullâ contingentiâ, sive ponatur, sive non ponatur res ad extrâ: Est enim Deus causa libera, & actualissima rerum contingentium absque contingentiâ: Quemadmodum, proportionè servatâ, voluntas creata ex suppositione suæ existentie est causa libera suorum actuum absque ullâ contingentiâ ex parte sui, & eum solâ contingentiâ ex parte suorum actuum: Quare autem hoc in Deo non erit absque ullâ contingentiâ ex parte actus divini perfectissimè liberi, & cuius liberæ actualis est perfectio tam necessaria ipsi Deo, sicut & omnipotentia, & quælibet alia.

413. Instabis tertio. Casu, quo Verbum non procederet ex cognitione contingentium, Verbum non denominaretur dicens contingentiâ, vel Pater Verbo dicens ea. Ergo non esset idem Verbum. Sed contrâ est. Casu, quo nunquam fuisset contingentiâ, ut certè accidere potuit, Deus non denominaretur sciens, nec cognoscens contingentiâ. Ergo non esset eadem cognitio divina. Vide, qualiter te expeditas antecedenti, & tuo consequenti applica solutionem. Respondeo negando consequentiam. Quia quando cognitio, & Verbum sunt absoluta, nec dependent ab objecto, ut contingit in Deo respectu objecti creati; cognitio, & Verbum eodem modo intrinsecè manent, sive illud ponatur, sive non. Nec ex eo, quod in eo casu non denominaretur dicens contingentiâ, deficeret aliquid intrinsecum Verbo, quod antea haberet: Quia (ut sæpè dixi cum Divo Thomâ) omnis denominatio relativa Dei ad creaturas existentes, neque est intrinseca, neque realis Deo; sed solius rationis, seu nominis, quod quidem Deo tribuimus, suppositis creaturis; & illis non suppositis, non tribuimus; sicut nec ei tribuimus nomen Creatoris alterius mundi. Et miror, connotatores vim in hoc facere; cum ex duobus albis, uno solum deficiente, hæc duo component, & deficere denominationem similis in albo existente; & nihilominus eandem similitudinem relativam intrinsecè manere; & quod mirabilius est, denominationem illam non distingui intrinsecè, & realiter ab ipsâ similitudine, quæ non deficit.

414. Oppones secundò. Quod procedit ex principio libero, liberum est. Sed si Verbum procederet ex cognitione contingentium, procederet ex principio libero. Ergo Verbum divinum liberum esset, & necessarium. Respondeo, utrumque componi in Verbo divino, & esse liberum, & esse necessarium; non quidem liberum, prout importat contingentiâ effectus liberè producti ad

Verbum idè esset, quamvis cogitatio deficeret, quia est absoluti, & ab illis independens.

Ad 2. dico, in Verbo divino, utriusque componi esse sollicitudinem, & necessarium.

ad esse, & non esse, sed liberum, in quantum accipit libertatem actualissimam, & potestatem à Patre circa existentiam, vel non existentiam creaturarum: Hoc autem est tam necessarium Verbo, ac est necessarium Patri; quod scilicet sit summè liber ad producendum, vel non producendum creaturas. Casu autem, quod non procederet ex cognitione practicâ Patris circa contingentia, idem omninò Verbum produceretur. Nec obstat, quod tunc creaturas extrâ non manifestaret: Quia sicut est liberum Patri, quod producantur, vel non producantur creaturæ; sic est ei liberum, quod manifestentur, vel non manifestentur extrâ suo Verbo creaturæ. Unde sicut Pater non producendo ea, quæ produxit, idem in omnibus maneret; sic Verbum non manifestando, quæ nunc manifestat, idem prorsus persisteret: Cum neuter causa ab existentia creaturarum; causa autem libera ad aliquid faciendum, eadem permanet, sive operetur, sive non operetur.

415. Opponet tertio. Pater quæcumque dicit suo Verbo, verè dicit; cum in Verbo sit summa veritas. Ergo verè dicit contingentia. At si contingentia non fuissent, hæc veritas deficeret: Non enim datur veritas circa objectum existentem, hoc non existentem; cum ab eo, quod res sit, vel non sit, propositio dicatur aut vera, aut falsa. Ergo cum hoc sequatur ex eo, quod ex cognitione contingentium procedat, diendum est, minimè procedere. Hoc argumentum æquè militat in Adversarios; etenim cognitio practica, seu libera contingentium, quæ nunc datur in Deo, est summè vera, & tamen contingentia non esse potuerunt. Ergo summa veritas divinæ cognitionis circa existentiam, potuit deficere. Videant, quid scientiæ liberæ respondeant. Respondeo igitur, Divum Thomam quæst. 4. de Verbo, artic. 4. ad 2. difficultati his verbis occurrisse: *Nec tamen sequitur, quod in Deo non sit summa veritas; quæ est immutabile creaturis existentibus mutabilibus; quia non exigitur ad veritatem Verbi similitudo ad rem, quæ per Verbum dicitur secundum conformitatem naturæ; sed secundum representationem.* Ita ibi. Ex quibus, concesso primo enthymemate, nego minorem subsumptam: Est enim magnum discrimen inter veritatem Verbi creati, & divini. Veritas enim Verbi creati stat in eo, quod sicut res est, sic sit intentionaliter, & per similitudinem in Verbo: Unde quia Verbum est, & accidentaliter similitudo rei cognita, ideo veritas formalis stat in Verbo; quemadmodum dicimus, quod imago Petri est propria representatio Petri. Jam verò cum Verbum nostrum sit causarum, & dependens à re, quæ communiter eo dicitur; consequenter, objecto deficiente, deficit Verbum, ac proinde veritas, & hæc varia-

Theol.

tur, objecto variato. At verò cum summa veritas Verbi divini nullatenus pendeat à contingentibus, nec sit relativa; sed absolute, quin potius sit causa libera contingentium; ideo his deficientibus, vel si hæc nunquam fuissent, eadem maneret æterna, & immutabilis juxta dicta.

416. Oppones quartò ex subtilissimo Doctore Scorò. Quia pari ratione deberet Spiritus Sanctus procedere ex amore contingentium. Sed hoc est falsum. Ergo. Minor probatur. Quia amor creaturarum est liber in Deo. Sed Spiritus Sanctus non procedit per amorem liberum; sed per naturalem, & necessarium. Ergo. Respondeo cum Patre Valentia, concessa majori, negando minorem. Ratio est. Quia amor divinus creaturarum non ideo dicitur liber, quia secundum suam perfectionem possit esse, & non esse; sed quia licet in se totus quoad suam entitatem sit simpliciter necessarius; habet tamen tantam perfectionem, ut creaturæ possint esse ejus terminus, & non esse, ipso immutato. Nec inde sequitur, Spiritum Sanctum evadere contingentem in suo esse, sicut creatura. Tum quia creatura petit per se procedere ex amore libero cum potestate actus ad eam faciendam, vel non faciendam. Spiritus verò Sanctus non petit per se procedere ex amore libero habente pro termino creaturam; sed solum consequenter, & quasi per accidens, ut supra loquitur Divus Thomas de Verbo. Tum etiam quia sicut ex eo, quod ponatur contingentem creatura per actum liberum, non sequitur aliqua propria contingentia in actu libero Dei; eò quod idem actus liber maneret omninò invariatus, etiam non positâ tali creaturâ; sic ergo non sequitur contingentia aliqua in Spiritu Sancto.

417. Oppones quintò ex Borrull, & aliis. Omnes Personæ divinæ quoad necessaria habent naturam divinam prioritate naturæ, antequàm ista se determinet ad amorem, vel scientiam liberam; cum omnia necessaria sint priora liberis. Ergo pro eo signo, quo natura divina se determinat ad amorem, & scientiam liberam, omnes Personæ necessariæ se unâ determinant ad tales actus; atquæ adeò æquè primò Amor, & scientia libera habentur ab omnibus Personis necessariis: Unde nec Filius accipiet à Patre scientiam liberam, nec Spiritus Sanctus Amorem liberum à Patre, & Filio. Consequentiam probat P. Borrull. Quia Pater non aliâ ratione se determinat ad amorem, & scientiam liberam, nisi quia natura divina prioritate naturæ præsupponitur existens in Patre ante amorem, & scientiam liberam. Unde naturâ divinâ se ad amorem, & scientiam liberam determinante, etiam suppositum Patris se determinat. At natura divina præsupponitur existens

Hh 3

Ad 4. dico, quod pari ratione. Spiritus Sanctus ex contingentium amore procedit.

5. Argumentum in de petitur quod omnes Personæ prioritate naturæ. antequàm hæc se determinet ad amorem vel scientiam liberam, &c.

Ad 3. respondeo ex S. Thomâ quæst. 4. de Verbo artic. 4. ad 2.

in omnibus Personis necessariis. Ergo determinante se naturâ Divinâ ad amorem, & scientiam liberam, omnia supposita necessaria se pro eo signo determinant.

418. Respondeo negando antecedens. Tum quia libera à necessariis distinguuntur in Deo: nam idemmet actus sive scientiæ, sive voluntatis dicitur liber, & necessarius respectu diversorum: nam respectu objecti, quod potest esse, & non esse, dicitur perfectissimè liber: Deum esse hoc modo actum liberum, est tam necessarium ei, ac quævis alia perfectio. Tum quia natura divina non determinat ad amorem, & scientiam liberam, quasi possit habere, vel non habere amorem, & scientiam liberam; cum Deus per suam naturam sit actualiter liber absque ullâ sui mutatione ad ponendum extra mutabilia & contingentia: non enim oportet, quod natura divina sit necessaria in essendo, & hoc modo intrinsecè libera in operando ad extra: imò voluntas creata ex suppositione, quod existat, non est libera, ut sit, vel non sit: cum sua existentia à se ipsâ non pendeat, sed à solo Deo; & tamen est libera libertate potentiæ ad amorem, vel non amorem. Tum quia illud, quod additur; scilicet necessaria esse priora naturâ liberis, solum habet locum in liberis, quæ realiter pendent à necessariis: v. g. prius est animam rationalem habere voluntatem, quàm liberam voluntatem; quia voluntas necessario consequitur animam ut ejus proprietas; non verò volitio, quæ solum liberè pendet à voluntate. At verò in Deo, qui realiter per suam naturam sicut est omnipotens, sic est liber circa objecta creata; hoc non contingit.

419. Illud autem, quod additur, amorem scilicet & scientiam liberam esse in tribus Personis præsuppositis jam in esse naturæ, quin una communicet, & alia accipiat amorem, & scientiam existentium; nec probatur, nec est verum: quod sic suadeo. Tum quia Trinitas Personarum intelligit, & vult liberè contingentia eo modo quo est, & existit. Sed licet tota Trinitas simul existit; existit tamen cum illo ordine originis; Patre scilicet communicante naturam, & alia; & eadem Filio accipiente. Ergo sic volunt liberè tres Personæ divinæ; scilicet cum tali ordine communicandi, & accipiendi scientiam liberam, &c. Etenim modus operandi sequitur modum essendi. Alia solent argumenta adduci, quæ quia in nostris principiis nullam vim habent, hic libenter omitimus.



## QUESTIO IX.

In quonam consistat quidditas,  
& ratio Divinarum  
Processionum?



Ic syrtis, in quâ Hæresarcharum navis, errorum sarcinis onusta ad Baratri usque fundum impegit. Hic ubi adversus unum Arrium, Photinum, & alios ejusdem furfuris Athlantes Ecclesiæ feliciter ingemuere. At quia, Deo Auspice, recessere venti, & contradicentium decumani fluctus detumuerunt; curæ jam non est, ut cum filiis de Fide certemus; liceat æquum sit, scopulos delineare, ne quis hæreat, ubi ipsi divinum fatum miserè deplorarunt.

## LECTIO I.

Statuitur in hoc puncto  
Catholica Fides.

420. **P**riusquam ad id, quod inter Catholicos agitur, calamum admoveam, opere pretium est saltem pro notitiâ duxi, Catholicam veritatem ostendere. Supponendum igitur est prius dari Processiones in Deo, per quas una persona ab altera procedit, non quidem secundum actionem transeuntem; sed immanentem; non ut effectus à causâ, nec ut causâ producit diversos effectus, qualiter Arrius, & Sabellius posuerunt; sed omni propriâ causalitate, & dependentiâ conclusâ.

421. Primum constat ex Scripturâ, unam scilicet Personam ab aliâ procedere; nam Isaïæ 48. Micheæ 5. & Zachariæ 2. Deus à se mittendum promittit; missio autem includit processionem æternam missi à mittente juxta Divum Thomam quæst. 43. Ergo. Joannis 5. Christus Dominus de se ait: *Ego scio eum, (scilicet Patrem) quia ab ipso sum.* Et cap. 8. *Ego enim ex Deo processi.* Quæ verba de æternâ processione intelligunt 6. de Trinitate Athanasius in expositione Fidei, Sanctus Augustinus, & Rupertus 5. de Trinitate, cap. 34. Denique 15. Joannis de Spiritu Sancto sic dicitur: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit.*

422. Ulterius hæc veritas primò probatur hæc ratione Catholicâ. De fide est dari tres